



**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani  
de memoria ad libitum sancti Gregorii Narecensis, abbatis et Ecclesiæ doctoris**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

**FEBRUARIUS**

*27 S. Gregorii Narecensis, abbatis et Ecclesiæ doctoris*

IN MISSALE ROMANUM

Die 27 februarii

**S. Gregorii Narecensis, abbatis et Ecclesiæ doctoris**

*De Communi doctorum Ecclesiæ (p. 943), vel sanctorum: pro abbatе (p. 958).*

**COLLECTA**

Omnípotens sempítérne Deus,  
qui sanctum Gregórium, magístrum et decus Arméni pópuli,  
mýstica doctrína imbúere dignátus es,  
concéde nobis, ipso docénte,  
artem tecum loquéndi apprehéndere  
vitámque nostram Ecclésiæ sacraméntis constánter fulcíre.  
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECIONUM MISSÆ

Die 27 februarii

**536bis S. Gregorii Narecensis, abbatis et Ecclesiæ doctoris**

*De Communi doctorum Ecclesiæ, vel sanctorum [pro religiosis].*

LECTIO I      **Sap 7, 7-10. 15.16, n. 725, 2.**

PS. RESP.      **Ps 36, 3-4. 5-6. 30-31, n. 727, 2.**

ALLELUIA      **Io 6, 63c. 68c, n. 729, 3.**

EVANG.      **Mt 7, 21-29, n. 730, 2.**

## IN LITURGIAM HORARUM

Die 27 februarii

S. GREGORII NARECENSIS  
ABBATIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

### Pro commemoratione

Natus anno circiter 950 in historica Armeniæ regione Andzevatsik, in familia litterarum cultrice adolevit. Iuvenis monasterium Narecense, quod Anania, matris eius consobrinus, abbas regebat, ingressus est. In inclita schola monasterii versatus est ac ibi totam vitam suam, amore erga Virginem Mariam inflamatam, uti presbyter et abbas exegit, sanctitatis et mysticæ experientiæ fastigium attingens atque suam doctrinam variis in theologicis mysticisque operibus demonstrans. Anno 1003 præclarum Librum Lamentationum exaravit et post circiter annos duos quievit.

### Ad Officium lectionis

#### LECTIO

Ex Libro Lamentatiōnum sancti Gregórii Narecénsis abbátis et Ecclésiæ doctóris  
(Oratio 70, III-IV: SCh 78, 369-370)

#### *Ad te configiam, Christe*

Quandóquidem virtus hóminum quoad salútem existimáta et circumscrípta est, atque ádeo osténsum est quod illi in misericórdiis tuis, beneficiorum Auctor, versáti sunt; a te, Omnípotens, roboráti sunt; a te, Defénsor, cui ómnia possibília, vocáti dimissíque sunt; indulgéntia tua, Liberátor, gavísi sunt; a te, ad nullum morbum proclívi, o Incorrúpte, vivificáti et a te Instauratóre illumináti sunt; quamóbrem, sciens quid sit mea humána natúra, ad te confúgiā, Christe, Fili Dei vivéntis, in toto Benedíctum.

Prætérea, mentiónem hic faciéndo senténtiæ ad hanc precem aptæ, quoq̄ ántea scripsi étiam iustificátur: *incidémus in manus Dómini et non in manus hóminum; secúndum enim magnitúdinem ipsíus, sic et misericórdia illíus.*

Nam non stúdeo in hoc meo libro Lamentatiōnum méritum minúere illórum qui salútem ímpetrant, quia sine mérita impossíbile est Deum adíre.

Sed ego Nomen Salvatóris glorífico atque grátiam eius, ómnibus diréctam, laudo et verbis meis profiteor ómnibus illis, qui per bonam vitam in magnum honórem ascendérunt, semper opus fuísse misericórdiæ tuæ remédium.

Quia tu es Vita, tu Salus, tu Valetúdo, tu Immortálitas, tu Beatitúdo, tu Illuminátiō!

Quiétem mihi concéde a peccatórum meórum tædio, ita ut et tu quiéscere a planctu instantiísque meis importúnis, quæ constánter te efflágitant, o Iudex meus, váleas.

Quia nulla re gaudes nisi de hóminum salúte, o in sǽcula Benedícte. Amen.

#### RESPONSORIUM

Ps 33 (34), 6. 23; 1 Petr 5, 9

R/. Accédite ad Deum et illuminámini, et fácies vestræ non confundéntur. \*  
Rédimet Dóminus áimas servórum suórum, et non delínquent omnes qui sperant in eo.

V/. Sectámini iustítiam, fidem, caritátem et pacem. \* Rédimet.

## **Ad Laudes matutinas**

**Ant.** Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti, et qui ad iustítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes.

### **Oratio**

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctum Gregórium, magístrum et decus Arméni pópuli, mýstica doctrína imbúere dignátus es, concéde nobis, ipso docénte, artem tecum loquéndi apprehéndere vitámque nostram Ecclésiæ sacraméntis constánter fulcíre. Per Dóminum.

## **Ad Vespertas**

**Ant.** O doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, sancte Gregóri, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

## IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

*Addi debet ad diem 27 februarii primo loco elogium quod sequitur:*

**I**n monastério Narecénsi in Arménia, sancti Gregórii, abbátis, doctóris Armenórum et Ecclésiæ, doctrína, scriptis ac mýstica sciéntia illústris.

**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani  
de memoria ad libitum sancti Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

**MAIUS**

10 *S. Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*

IN MISSALE ROMANUM

Die 10 maii

**S. Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

De Communi pastorum: pro uno pastore (p. 933), vel de Communi doctorum Ecclesiæ (p. 943).

**COLLECTA**

Deus, qui sanctum Ioánnem De Avila  
clero populóque tuo magístrum præstantíssimum dedísti  
ob sanctitátem et sedulitátem vitæ,  
præsta, quæsumus, ut nostris étiam tempóribus  
Ecclésia sanctitáte augéscat  
propter óptimam tuórum ministrórum sedulitátem.  
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIÖNUM MISSÆ

Die 10 maii

**561bis S. Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

De Communi pastorum vel doctorum Ecclesiæ.

- |           |  |
|-----------|--|
| LECTIO I  | <b>Act 13</b> , 46-49, n. 720, 1.        |
| PS. RESP. | <b>Ps 22</b> , 1b-3. 4. 5. 6, n. 721, 2. |
| ALLELUIA  | <b>Mt 5</b> , 16, n. 729, 1.             |
| EVANG.    | <b>Mt 5</b> , 13-19, n. 730, 1.          |

## IN LITURGIAM HORARUM

Die 10 maii

S. IOANNIS DE AVILA,  
PRESBYTERI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Almodovarii de Campo, in Hispania, anno circiter 1500 ortus est. Sacerdotio auctus, cunctam Bæticam regionem, Christum prædicans, pererravit. Per multis scriptis naturam et magnum momentum Concilii Tridentini, cuius instaurationis vox fuit insignis, presbyteris demonstravit. Hæreticæ pravitatis iniuste suspicatus, nec examen neque carcerem fugit, catholicam doctrinam ferventius enarrans. Montaniolæ, in diœcesi Cordubensi, ultimis annis abditus, die 10 maii 1569 in Domino quievit.

**De Communi pastorum: pro presbyteris, vel doctorum Ecclesiæ.**

### Ad Officium lectionis

#### LECTIO ALTERA

Ex Scriptis sancti Ioánnis De Avila presbýteri et Ecclésiæ doctóris  
(*Tractatus de amore Dei erga nos*, 1. 2. 4: Madrid 2004)

*Caritas Christi,  
vultus eius ad Patrem semper conversus*

Fons, qui magis cor nostrum ad caritátem Dei állicit, conspéctus est altíssimæ caritatis, qua ipse pro nobis flagrávit et, cum ipso, Fílius eius valde benedictus Dóminus noster. Hoc, magis quam beneficia, cor ad amándum állicit, cum álius benefáctor ipsi det quod pòssidet, amans autem seípsum ófferat cum ómnibus quæ pòssidet, nec áliud ei offeréndum supérsit.

Inspiciámus nunc, ígitur, Dómine, an nos diligátis et, si non diligátis, quanta cáritas vestra sit erga nos.

Paréntes ádmodum amant filios, sed amatísne forte nos tamquam pater? Sinum cordis vestri, Deus meus, ipsi non sumus ingrèssi, ut hæc ómnia inspícere valerémus; Unigénitus vester, autem, qui ex illo sinu descéndit, eorúndem tulit signa et nos mandávit, ut ob infinitam caritátem, qua nos amabátis, Patrem vos nuncuparémus, quia sicuti bonus es tantum propter supereminéntiam dominicæ tuæ benignitatis, item tu solus es Pater atque sic es tanta facis, ut coram viscéribus paternitatis tuæ nemo sit, qui pari voce yáleat nuncupári.

Et si adhuc tantæ huic caritati diffidis, ómnia ínspice beneficia, quæ Deus tibi concéssit, quia ómnia ipsíus caritatis pignora ac testimónia sunt. Ratiónen subdúce quot sint ómnia hæc beneficia et vidébis quæcumque sunt in cælis et in terra, sicut et univérsa ossa et órgana sensus in corpore tuo et síngulas horas et spátia témporis vitæ tuæ ómnia esse beneficia Dómini. Inspice étiam quot bona consília accepísti et bona quæ in hac vita possedísti, necnon pericula quæ in hac vita effugísti atque morbos et cædes quibus cōrripi potuisses, nisi ipse liberáverit te: quæ ómnia caritatis tuæ perspícua sunt signa. Ac demum ad omnem hunc mundum óculos convérte, qui pro solo bono tuo creáthus est et una cum ómnibus creatúris in ipso conténtis caritátem signíficat enarrátque et tecum partícipat.

Et videámus nunc étiam quanta Fílius hic ab ipso nobis datus exarsísset caritáte. Lingua non est quæ digna id sit éloqui! Ignári atque ínscii quidam hanc caritátem adhuc non séntiunt, quæ, eorúndem senténtia, ex amáti perfectióne procédit.

Cáritas autem Christi non e perfectióne nobis ínsita óritur, sed ex eo, quod ipse pôssidet, vultus scilicet ad Patrem semper convérsum.

### RESPONSORIUM

Cf. Eph 3, 18-19; Io 3, 16

**R/.** Valeátis scire supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, \* Ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei, allelúia.

**V/.** Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum unigénitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam: \* Ut impleámini.

### Oratio

Deus, qui sanctum Ioánnem De Avila clero populóque tuo magístrum præstantíssimum dedísti ob sanctitátem et sedulitátem vitæ, præsta, quæsumus, ut nostris étiam tempóribus Ecclésia sanctitáte augéscat propter óptimam tuórum ministrórum sedulitátem. Per Dóminum.

### IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

*Addi debet ad diem 10 maii primo loco elogium quod sequitur:*

**M**ontíliae in Vandalícia Hispániæ província, sancti Ioánnis De Avila, presbýteri et Ecclésiæ doctórís, qui cunctam Bæticam régiónem Christum prædicans pererrávit et, iniúste de hæresi suspicátus, in cárcerem trusus est, ubi præcípuam doctrínæ suæ spiritális partem scripsit.

**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani  
de memoria ad libitum sanctæ Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiæ doctoris**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

**SEPTEMBRIS**

17 *S. Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiæ doctoris*

IN MISSALE ROMANUM

Die 17 septembris

**S. Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiæ doctoris**

De Communi virginum: pro una virgine (p. 947), vel de Communi sanctorum: pro moniali (p. 960).

**COLLECTA**

Deus, fons vitæ,  
qui sanctam Hildegárdem, vírginem,  
prophético spíritu imbuísti,  
fac nos, quæsumus, eius exémplo et intercessióne,  
vias tuas scire et in huius sáculi calígine  
lucis tuæ claritatem cognoscere.  
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIONUM MISSÆ

Die 17 septembris

**641bis S. Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiæ doctoris**

De Communi virginum vel sanctorum [pro religiosis].

- |           |  |
|-----------|--|
| LECTIO I  | Cant 8, 6-7, n. 731, 1.                |
| PS. RESP. | Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17, n. 733, 1. |
| ALLELUIA  | Mt 5, 8, n. 741, 3.                    |
| EVANG.    | Mt 25, 1-13, n. 742, 11.               |

## IN LITURGIAM HORARUM

Die 17 septembbris

### S. HILDEGARDIS BINGENSIS, VIRGINIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Bermeshemii, in Germania, anno 1098 orta est, et anno 1115 apud abbatiam Benedictinam Montis Sancti Disibodi, religiosam professionem nuncupavit. Anno circiter 1150 monasterium Montis Sancti Ruperti, prope Bingium, fundavit et uti abbatissa rexit. Scientiis naturalibus et arte musica perita, ita in plurimis scriptis revelationem, quam mystica contemplatione experta erat, clero et populo pie exposuit, opera pænitentiæ prædicavit et errores contra doctrinam confutavit, ut etiam principes et Romani Pontifices consilium eius sollicite exquirerent. Morbo affecta, obiit anno 1179.

**De Communi virginum: pro una virginе, vel sanctarum mulierum: pro religiosis.**

#### Ad Officium lectionis

##### LECTIO ALTERA

Ex Epistolis sanctæ Hildegárdis vírginis et Ecclésiæ doctóris  
(Ep. LII: Wernerio de Kircheim, cum ceteris societatis suæ fratribus: PL 197, 269-271)

##### *Ecclesiæ imago*

In lecto ægritudinis diu iacens, anno domínicæ incarnatiónis millésimo centésimo septuagésimo, vidi vígilans córpore et ánimo, pulchérrimam imáginem, muliébrem formam habéntem, quæ electíssima in suavité et caríssima in delíciis tantæ pulchritúdinis erat, ut eam humána mens nequáquam comprehéndere valéret, et cuius statúra a terra usque ad cælum pertingébat.

Fácies quoque ipsíus máxima claritaté effúlsit et óculus eius in cælum aspéxit. Candidíssima étiam veste ex albo sérico induebátur et pállio pretiosíssimis lapídibus, scílicet smarágdo, sapphíro, baccis quoque et margarítis ornáto circumdabátur, calceaménta ex onýchino circa pedes habens. Sed fácies eius púlvre aspérata erat et vestis in déxtero látere scissa fúerat atque pálliūm eius elegántem pulchritúdinem suam amíserat et calceaménta ipsíus denigráta erant.

Et ipsa voce magna et lúgubri in altitudinem cæli clamábat, dicens: «Audi, cælum, quod fácies mea sordidáta est; et, terra, luge, quod vestis mea scissa est; et, abýsse, contremísce, quod calceaménta mea denigráta sunt. Et íterum dicébat: Ego in corde Patris látui, quoúsque Fílius hóminis, qui in virginitáte concéptus et natus est, sanguinem suum fudit, qui étiam cum eódem sanguine me sibi desponsávit et dotávit».

Fixúra namque vúlnerum sponsi mei recens et apérta est, quándiu vúlnera peccatórum hóminum patébunt. Hæc éadem vúlnera Christi sacerdótes, qui me cándidam fáceré et mihi in candóre servíre debérant, in nímia avarítia sua de Ecclésiis ad Ecclésias discurrentes contáminant. Vestem quoque meam per hoc scindunt quóniam prævaricatóres legis et Evangélii ac sacerdóti sui sunt et pálliūm meum in hoc offúscant, quia præcépta, quæ in eis institúta sunt, per ómnia néligunt, nec ea in abstinentia velut in smarágdo, nec in largitióne eleemosynárum velut in sapphíro, nec in áliis bonis et iustis opéribus (quibus Deus velut áliis genéribus gemmárum honorátur) bona voluntáte et

perfécto ópere complent. Sed et calceaménta mea supérius denigrántur, quóniam ipsi nec recta scílicet, nec dura et áspera iustítiae itínera habent, nec bona exémpla súbditis suis præbent, cum tamen subtus in calceaméntis meis quasi in secréto meo candórem veritátis in alíquibus hábeam.

Et audívi vocem de cælo dicéntem: «Imágó hæc Ecclésiam demónstrat. Quapropter tu, o homo, qui ista vides et audis plangéntia verba, hæc sacerdótibus qui ad regéndum et docéndum pópulum Dei constitúti et ordináti sunt profer, quibus cum apóstolis dictum est: *Ite in orbem univérsum, et prædicáte Evangélium omni creatúræ*».

### RESPONSORIUM

Dan 2, 21-22; 1 Cor 12, 11

R/. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus et sciéntiam intellegéntibus disciplínam;  
\* Ipse revélat profúnda et abscónrita et lux cum eo inhábitat.

V/. Hæc ómnia operátur unus et idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult. \* Ipse révelat.

### Oratio

Deus, fons vitæ, qui sanctam Hildegárdem, vírginem, prophético spíritu imbuísti, fac nos, quæsumus, eius exémplo et intercessióne, vias tuas scire et in huius sǽculi calígine lucis tuæ claritátem cognoscere. Per Dóminum.

### IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

*Addi debet ad diem 17 septembribus secundo loco elogium quod sequitur:*

In monastério Montis Sanctis Ruperti prope Bíngum in Hássia, sanctæ Hildegárdis, vírginis et Ecclésiæ doctóris, quæ, sciéntia rerum natúræ et medicínæ necnon arte música perita, quam mýstica contemplatióne expérta erat, pie in libris expósuit ac descripsit.